

& sacris literis poterat dici alienius. Docet ratio communis nullam speculationem hominem reddere felicem. Docet Scriptura beatitudinem consistere in cognitione & cultu Dei; Docet vero simul, cognitionem Dei consistere in amore fratrum, & cultum Dei genuinum esse benefacere egenis ac viduis. Vno verbo scriptura docet felicitatem ac beatitudinem esse practicam & ipsas speculationes debere resolui in praxes. Lactantius vero ipsas praxes resoluit in speculationes.

§. XXXIX. Sed iste quidem capitalis & ex falsa Gentilium sapientia in Christianismum deriuatus error adhuc hodie regnat. Hinc quemadmodum olim ex Doctoribus Ecclesiae quispiam conquerebatur; quod totus Orbis Christianus Arianus factus sit, ita meliori iure conqueri quis posset, quod intuitu praefati erroris totus orbis Christianus factus sit Lactantianus. Sed ista quidem prolixius excutere ad nostrum scopum non pertinet.

OBSERVATIO XV.
SENTENTIA ANAXAGORÆ
DE NIGREDINE NIVIS.

X 4

SYM-

a. Observationis selectae
ad rem litter. spect. T. II
Halae, Magd. 1700

SUMMARIÆ.

Autores Anaxagoræ sententiam hanc adscribentes §. I. Id vero fabulæ videri similius, præprimis, cum de ea taceat Laertius. §. II. Rationem etiam quam Cicero Anaxagoræ in defendenda hac sententia attribuat, §. III. esse absurdam §. IV. Georgium Hornium deducere hanc doctrinam Anaxagoræ ex hypothesi Scepticorum. §. V. Anaxagoram videri potius nimium sensibus tribuisse. §. VI. Forte Anaxagoram hæc intellexisse Metonymice, quod nix sit effectus principii nigri h. e. materia. §. VII. Forte eum narrasse aliis, quod oculis diu in solis speculatione occupatis nix apparuisset nigra. §. VIII. Forte voluisse indicare, speculationem rerum terrestrium esse nullius momenti. §. IX. Iudicium ea de re nostrum. §. X. An Anaxagoras fuerit Scepticus? §. XI. Triplex dissensio de sensu sententiæ Anaxagoræ. §. XII. Nullam earum explicationum posse deduci ex hypothesi Scepticorum §. XIII. Omnes tres videri ad signimenta aduersariorum pertinere §. XIV. Aut saltem eum statuisse non absurde, niuem non esse albam, §. XV. haudquaquam vero, niuem non videri albam, aut esse nigram, §. XVI. Lactantium vero, ut ultimum hoc ei affingeret, forte inductum fuisse incauta, argumentatione

a sensu contrario §. XVII. Forte etiam Anaxagoram disputasse contra falsam aliquam nigredinis definitionem, §. XIX. non autem ipsummet, ex tali definitione videri absurdum istud dogma deduxisse. §. XIX.

§. I.

PRæcedente obseruatione etiam mentionem iniecimus sententiæ Anaxagoræ de nigredine niuis, vnde non iniucundum erit de hac sententia aliquid commentari, cum hoc modo & res literaria & historia philosophica multum illustretur. Sententiam hanc Anaxagoræ multi retulerunt, ipsamque vt absurda authorem opinionis irriserunt. Inter hos Cic. *Lucullo* p. 18. & 25. item Lactantius *lib. III. c. 23.* Mihi sæpe in mentem venit dubitare, potueritne tam sapiens (vt inter gentiles) Philosophus eo venire infantiæ, vt tam ab omni sensu alienum dogma defenderet.

§. II. Confirmauit suspicionem, quod videbam Laërtium Diogenem p. 65. *seqq.* in eius vita prorsus ea de re perinde vt alibi de excœcatione Democriti (quæ & ipsa fabulosis narrationibus accensenda videtur) tacuisse, non id facturum, si ita sensisset Anaxagoras. Merebatur enim hæc tam prodigiosa sententia præ omnibus annotari. Itaque putem vesaniam illam aut alii Anaxagoræ

(tres fuerunt præterea, Laërtio teste, vnus Orator, alius statuarius, tertius Grammaticus) ac fortasse Oratori quam Clazomenio seu Philosopho tribui oportere: aut si dictum eiusmodi excidere sibi passus est Clazomenius, alio longe sensu id ipsum intellectum voluisse quam factum est vulgo, aut denique totam rem esse confictam.

§. III. Video quidem a Cicerone p. 25. proferri non dogma id modo, sed eius etiam rationem, qua suadere id voluerit Anaxagoras. Verum ne id quidem quod rationis loco affertur, tale esse dixerim vt consentaneum sit ab eo philosopho allatum fuisse. Verba Ciceronis hæc sunt: *Anaxagoras id non modo ita esse negabat (niuem esse albam) sed sibi, quia sciret aquam nigram esse, unde illa concreta esset, albam ipsam esse ne videri quidem.* Putes ergo sic eum argumentari voluisse: quod ex aqua nigra concretum, id ipsum nigrum, Nix ex aqua nigra concreta. E. & ipsa nigra.

§. IV. Miserrimum profecto argumentum & vix puero dignum, siue maiorem videas siue minorem. Maiorem: quis enim nescit concretionem, rarefactionem, concoctionem sæpius rebus colorem mutari, adeoque vel nigræ gallinæ pullum esse album. Minorem: eiusdem enim stuporis est, aquam quæ pellucida, quam niuem quæ alba est, nigram

asse-

asserere. Tam ergo absurdi syllogismi, nec in conclusione modo, sed præmissis etiam ab humano sensu omni recedentis, Authorem, Anaxagoram fuisse, dubitari potest.

§. V. Nisi dicamus illum scepticorum sententiæ fauisse, qui omnem sensibus fidem abrogabant. Et ex hoc quidem ipsum interpretatur Georgius Hornius *Lib. III. Hist. Philos. c. 18. p. 210.* *Anaxagoras quoque, inquit, ab ea opinione non alienus fuit. Unde enim nisi ab ἀναισθησία quadam profectum est, quod atram esse niuem dixit? Ac reperias fortasse, qui ex principiis recentium Philosophorum quorundam, quibus atomi Epicureæ claræ sunt, & illarum doctrinam in opticam Philosophiæ partem transferre placuit, ut eunque licet, non absque aliqua violentia, conficere possint, vi horum principiorum sequi, ut aquam & porro niuem nigram esse conveniat.*

§. VI. Quod ut sua probabilitate non caret, (quis enim certo affirmare audeat, Anaxagoram de scepticismo nihil traxisse?) tamen si cogitamus, quod de eo Lærtius scripsit *p. m. 66.* dixisse eum, solem candens esse ferrum, putare promptius est, quod ipse nimium potius sensibus, etiam deceptis, quam parum, nunciis verorum, dederit.

§. VII. Quod si ergo alium quendam sensum, quam quem literalem verba præ se ferunt,

runt, in animo habuisse Anaxagoram illa, cum diceret putamus, quem ergo tandem? An aquam esse nigram sic exaudiendum, quasi per Metonymiam, quod sit effectus principii nigri i. e. aquæ. Aquam autem nigram appellauit, quia cum Thalete statuit aquam principium rerum, vt alia Obseru. probabimus. Id vero materiale principium, qui materiam exæquabant Deo, tenebris comparauerunt, vti Deum luci, imo ipsam materiam *σκότος* appellauerunt, & Deum *Φῶς*.

§. VIII. An euenit aliquando forte illi, vt cum dia oculos in hiberno sole defixisset, vti fuit siderum scrutator maximus, fortasse deprehendendi aliquid causa, posteaque eos convertisset ad niuem, eaque nigra apparuisset, quid sibi sic euenerit, enunciaret aliis, quod postea sic acceptum fuerit, quasi ab eo qui vere niuem esse nigram profiteretur.

§. IX. An id voluit, in contemplatione, cœlestium rerum ita hærendum esse, vt quid in terra rerum geratur, nix alba sit an atra, nihil ad nos pertinere existimemus? Præprijis cum Thaletis exemplo Astronomicarum rerum maxime studiosus fuerit, vt obseru. præcedente fusius probauimus?

§. X. Ac hæc quidem iterum sunt conie-
ctu-

Eturæ B. Iacobi Thomafii, quibus si & nostras licet adiungere, ante omnia interesse, putamus, discernere, vtrum scepticæ sectæ addictus fuerit nec ne, tum quid præcise statuerit, vtrum saltem negauerit niuem esse albam, an insuper etiam statuerit esse nigram.

§. XI. Quod scepticis dubiis non videatur fuisse addictus, præter dubium §. 6. *allatum*, & illud suadere videtur, quod in modo laudati Beati viri MSC. | notatum esse deprehendamus, Piccartum *disp. de criter. scient. §. 19. p. 468. Philos. Altdorff.* obseruasse, quod Anaxagoras tantum tribuerit sensibus, vt verberibus dignos iudicaret, qui iis repugnant.

§. XII. Quoad ipsam Anaxagoræ sententiam, deprehendo eam inconstanter proferri ab antiquis. Lactantius ipsi imputat, quod *dixerit niuem esse nigram*. Locum eius dedimus *obs. præced. §. 14.* Cicero ita eam profert, (*supra §. 3.*) Anaxagoram *negasse niuem esse albam*, imo *negasse, quod videatur alba*. Galenus vero *lib. 2. de virtute simplicium remediorum circa finem, atque istorum*, inquit, *nonnulli etiam Anaxagoram testem adducunt, qui de niue pronunciarit, quod non sit alba*. Adeoque & hic non asserit, quod Anaxagoras dixerit niuem esse nigram, sed saltem quod negauerit esse albam.

§. XIII.

§. XIII. Iam quod prius attinet, puto ob dicta §. 6. & 11. verosimile maxime mihi videri, Anaxagoram Scepticis non esse accensendum. Nec moueor coniectura Georgii Hornii §. 6. adducta, cum ea quidem principiis Scepticorum tota repugnet. Quomodo enim Scepticus saluis suis principis posset asserere, *niuem esse nigram*, qui nihil omnino asserit, sed de omnibus rebus iudicium suum suspendit. Aut quomodo posset ille saltem dicere, *niuem sibi videri nigram*, qui in rebus ad sensus pertinentibus nunquam dissentiebat ab aliis hominibus sensu communi utentibus, sed saltem in iis assertionibus quæ aliis ex istis sensationibus asseriebant. Ita cum alius diceret: *hæc res mihi videtur esse longa, quadrata, alba*, Scepticus respondebat, *& mihi*. At cum alter assereret: *Hæc res est longa, quadrata, alba*, tum Scepticus dissentiebat. Imo proprie nec dissentiebat, sed saltem non consentiebat. Asserenti igitur: *Nix videtur alba*, Anaxagoras si fuisset scepticus haud dubie respondisset; *Et mihi*. Asserenti vero: *Nix est alba*, non potuisset contrarium dicere: *Nix est nigra*, imo ne quidem: *Nix non est alba*, sed saltem respondisset: *Nix forte est alba, forte etiam non, sed solum alba videtur*. Igitur neque ex principis scepticismi negare poterat saltem Ana-

xagoras niuem esse albam.

§. XIV. Iam quod ipsam sententiam Anaxagoræ attinet de niue, initio tacente de ea Laertio scriptore sedulo, ingenuo, nec sectæ Anaxagoræ addicto, mihi videtur ptobabilissimum, eam quanta quanta est, esse figmentum aduersariorum eius. Iste enim mos & adhuc regnat & omni tempore regnauit, quod philosophi & omnes sectarum, quarumcunque pseudo-sapientes plura de aliis & maiori cum impudentia mentiti fuerint, quam vilissimi de plebe. Quid non de scepticis mentiti sunt Aristotelici & alii, quæ nunquam scepticis venire in mentem, & quorum contrarium vel ex scriptis Sexti Empirici, vel ex operibus Mothæi Vayerii apparet. Quid non de Epicuro & Epicureis Academici & Stoici, neque solum iactator ille & inanissimus homo Marcus Tullius Cicero, sed & vir sobrius & bonus Lucius Annæus Seneca calumniati sunt? Et tamen doctissimus Gassendus amplissime ostendit, ista omnia fabulas esse. Sed annon & hodie talia exempla passim prostant, vbi inutilissima terræ pondera, & numerus hominum, ac fruges consumere nati, quotidie viris de bono publico sincere sollicitis immania opinionum portenta impudentissime affingunt.

§. XV.

moueri, incautis conclusio hæc videretur absurdissima, vti etiam est, si quis eam adfruat, cum tamen aliis vim argumentandi per deductionem ad absurdum intelligentibus eadem videatur esse doctissima.

§. XIX. Ac recordor in MSC. quodam alio B. Iacobi Thomasi quod tamen iam non est ad manus, me legisse, quod vir quidam eruditus ipsi hanc coniecturam suppeditauerit ac si Anaxagoras ex definitionibus albi & nigri, quas ipse formauerit (quasque autor ille suppeditabat, sed quarum non recordor) subsumserit, niuem esse nigram. Mihi vero id parum verosimile videtur. Quin potius præsumo, talem Philosophum, qualis Anaxagoras fuit, non laborare eo errore, quo infecti sunt idearum fabri sensibus deceptiones intellectus adscribentes, quod res quæ sensibus percipiuntur, definitionibus reddantur clariores; quin potius eundem recte statuisse arbitror, obiecta sensuum ideo quia sensibus clarissime percipiuntur, non nisi stulte defini, quod iterum exemplo motus apertum est.

OBSERVATIO XVI.

FRANCISCI GEORGII VENETI
HARMONIA MVNDI.

SVMM-